AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh. Seite 42r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Nam de latere crucifixi percusso, sacramenta ecclesie profluxerunt. Quid
ergo dictum est ecclesie? Iam modo audite intelligite, cauete. Ipsa tuum obseruabit ca
put, et tu eius calcaneum. O ecclesia, caput serpentis obserua. Quid est caput serpen
tis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum, noli ibi
tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est.
Caput calca, et euades ceteros motus. Quid est caput calca, et euades ceteros motus.
Ipsam suggestionem contempne. Si lucrum suggessit. Magnum ibi lucrum est, mag
num ibi aurum est. Si hanc fraudem feceris, diues eris. Caput serpentis est calca.
Quid est calca? Contempne quod suggessit. Si magnum aurum suggessit. Et
quid prodest homini si totum mundum lucretur, anime autem sue detrimentum patiatur.
Pereat mundi lucrum, ne fiat anime dampnum. Hec dicens, obseruasti caput
serpentis, et calcasti. Ille autem dyabolus calcaneum tuum obseruat. Quid est obser
uat calcaneum tuum? Quando labaris a uia dei. Tu obseruas primam sug gestionem,
ille obseruat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris cades. Si ceciderit, possidebit. Ut
autem non cadas, noli exire de uia. Angustam tibi semitam strauit dominus. Quicquid extra
illam est, lubricum est. Propterea lumen est xpc, et uia est xpc. Erat lumen uerum quod illumi
nat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Et ego sum uia, et ueritas, et uita.
Per me is, ad me is. Si ergo ipse est lumen, et ipse est uia, si ab illo recesseris, nec in lumine
eris nec in uia. Et quid te sequitur? Quid dicit de impiis quidam psalmus? Fiat uia il
lorum tenebre et lubricum. Hic ergo draco, antiquus hostis noster, ira feruidus, insidiis
astutus, in mari magno est. Draco hic quem finxisti ad illudendum ei. Iam tu illude
draconi. Ad hoc enim hic factus est draco. Ipse cadens peccato suo de sublimi ha
bitatione celorum, et ex angelo factus dyabolus, accepit quendam locum suum in hoc
mari magno et spatioso. Regnum eius quod putas, carcer eius est. Multi enim dicunt. Qua
re tantam potestatem dyabolus accepit ut dominetur in isto seculo, et tantum ualeat, tantum
possit? Quantum ualet, aut quantum potest? Nisi permissus, nichil potest. Tu
sic age, ne permittatur in te. Aut si permissus fuerit ad temptandum, uictus abscedat
et non possideat. Permissus est enim ad temptandos quosdam sanctos uiros famulos dei. Su
perauerunt eum, quia de uia non recesserunt. Non lapsi sunt, quorum obseruabat calcaneum.
Iob ille sanctus sedebat in stercore, et currebat in uia. Uidete quemadmodum obseruaue
rit caput eius, et quomodo ille calcaneum eius attendebat. Ille repellebat suggerentem, ille
sperabat labentem. Cepit et eius mulierculam, subtraxit omnia que habebat. Solam
dyabolus dimisit adiutricem suam, non mariti consolatricem, sed potius temptatricem. Cepit
et ipsam, non obseruantem caput eius. Adhuc enim illa eua erat, sed iam ille adam non erat.
Ablatis omnibus remansit Iob cum uxore per quam temptaretur, et cum deo a quo regeretur.
Quid illo pauperius subito factum, si domum eius consides? Quid illo ditius, si cor eius cogites.